

tres erant: & primus accepit uxorem, & mortuus est non relicto semine: & secundus accepit eam, & mortuus est, & nec iste reliquit semen: & tertius similiter. Et acceperunt eam similiter septem: & non reliquerunt semen. Novissima autem omnium defuncta est: & mulier in resurrectione ergo cum resurrexerint, cuius de his erit uxor? Septem enim habuerunt eam uxorem. Et respondens Jesus, ait illis: Nonne ideo erratis, non scientes scripturas neque virtutem Dei? Cum enim à mortuis resurrexerint, neque nubent, neque nubentur: sed sunt sicut angeli in caelis. Male siquidem cogitationes in ima terrae merguntur, quia de ipsis exeunt: & in eadem iterum carnitate voluntur. Quod Judaeis evidenter accidit, cum blasphemiam in innocenti Christi cruce versari sunt. Respondit illis, imaginem Caesaris habentibus, nummum coactum Caesari, vos ipsos libenter Deo reddite. Signatum est super nos lumen vultus Dei, non Caesaris: Et veniunt ad eum Sadducei, & reliqua. De hac quaestione alias disputabimus: hic nobis non est cura erroris alieni. Sed quod erunt homines sicut angeli Dei: id est nemo, ibi moritur, nemo ibi nascitur: nec infans, nec senex. Mulier sterilis non relinquens semen ex septem fratribus novissimè moriens: quid aliud significat quam Judaicam synagogam relictam quasi mortuam à spiritu septiformi, qui septem Patriarchas implevit? Qui non reliquerunt semen ei Abraham, quod est Jesus Christus. Licet enim puer natus est illis, nobis tamen gentibus datus est. Quae mulier mortua erat Christo: nec cuiquam Patriarchae de septem in resurrectione conjungitur. Septeno namque numero universalitas perfectorum signatur: ut verba vice per Isaiam dicitur: Apprehendent septem mulieres virum unum: id est septem Ecclesiae, quas Dominus unus amat, arguit & castigat, adorant eum una fide. Haec sunt septem sportae fragmentis parum plenae. Panes, verba sunt spiritus sancti. Sportae verum Ecclesiae, quos panes Jesus benedicens fregit, & discipuli ejus dividerunt turbis: dum die septimo benedixit omnia opera sua, requiescens in eis. Unde luce facta primo die qui est sapientiae: & firmamento in secundo, qui est intellectus: & arida tertio, qui est consilium: & luminaribus accensis quarto, quae sunt virtutes: & volatilibus piscibusque factis quinto, quae sunt scientiae: & anima vivente sexto: id est, homine ad imaginem Dei facto, quod est pietatis: septimo die spiritus timoris Domini: qui permanet sanctus in saeculum saeculi, & replet orbem terrarum, sancta repletur Ecclesia: in hac habens maculam neque rugam. Cur autem Ecclesia septiformis, id est, perfecta, timore repletur? Quia iustus vix salvabitur, qui rogat: Et non intres in iudicium cum servo tuo Domine: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Unde his septem qualitatibus spiritus psalterium cantavit: commemorans in eo, quod negligentia nostra pepererit, quid diligentia quaesierit: quid divina providentia contulerit, quid inimici instigatio fraudaverit, quid oblivio lubrica subtraxerit, quid humana fragilitas intulerit, quid ignorantia improvida fecerit. Omnes hos septem affectus in psalmis invenimus expressos, ut est illud primum: Conceptit dolorem, & peperit iniquitatem. Secundus, Praeveni in maturitate, & clamavi. Tertius, Incerta & occulta sapientiae tuae manifestasti mihi. Quartus, Inimici mei animam meam circumdederunt. Quintus, Oblivioni datus sum tanquam mortuus à corde. Sextus, Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus. Septimus, Delicta juventutis meae & ignorantias meas ne memineris Domine. Quos affectus spiritus septiformis emundat & illuminat: ut septem lucernae ab austro ardentes, aquilonares tenebras expellant in tabernaculo Domini. Spiritus sapientiae in pigro negligentiam repellit. Spiritus intellectus diligentiam rationabiliter quaerit. Spiritus consilii, divinam providentiam prudenter invenit. Spiritus virtutis instigationes fortiter retundit. Spiritus scientiae, oblivionem lubricam diu esse integrè non sinit. Spiritus pietatis humanam fragilitatem clementer indulget. Spiritus timoris, Dei improvidam ignorantiam ardentè decoquit, ac plenè replet. Sapientia domum aedificat: intellectus gubernacula invenit: consilium, bona discreta facit: virtus in patientia animam possidet: scientia, divitiae fidei & salutis acquiruntur. Pietate prosperitas praesentis vitae & futurae consistit. Timore humilitas conservatur, & omne peccatum expellitur. Quia initium sapientiae timor Domini est.

De mortuis autem quod resurgant, non legis in libro Moysi super rubrum, quomodo dixerit illi Deus, inquit: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob,

Non est Deus mortuorum, sed vivorum. Vos ergo multa erratis. In quo est similitudo vestra: in quo ignis ardebat, sed non ejus spinas consumebat. Sic vos inflammat eloquium meum: nec spinas vestras sub maledicto germinatas assumpsit: Inquit, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob: ter Deum nominando, Trinitatem intimavit. Non est Deus mortuorum, sed vivorum. Unum Deum iterans, unam substantiam significat. Vivunt autem qui vendicabant portionem quam elegerant: mortui verò sunt qui quod vendicaverunt, perdidit.

Et accessit unus de scribis, qui audierat illos conquirentes: & videns quoniam bene illis responderit, interrogavit eum, quod esset primum omnium mandatum. Jesus autem respondit ei: Quia primum omnium mandatum est: Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est. Et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua. Hoc est primum mandatum. Secundum autem simile est illi: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Majus horum aliquid mandatum non est. Quae est haec quaestio problematis, quod est commune omnibus peritis in lege, nisi quod diversa in Exodo, & Levitico, & Deuteronomio ordinantur mandata? Unde non unum, sed duo intulit mandata: de his etenim duobus uberibus super pectora sponsae elevatis, nostra altitè infantia.

Et ait illi scriba: Bene magister in veritate dixisti: quia unus est Deus, & non est alius praeter eum. Et ut diligatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine: & diligere proximum tanquam seipsum majus est omnibus holocaustis & sacrificiis. Jesus autem videns quod sapienter respondisset, dixit illi: Non es longè à regno Dei. Et nemo jam audebat eum interrogare. Et respondens Jesus, dicebat docens in templo: Quomodo dicunt Scribae Christum filium esse David? Iste enim David dixit in Spiritu sancto: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis: Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum? Iste ergo David dixit eum Dominum: & unde est filius ejus? Et multa turba eum libenter audivit. Et dicebat eis in doctrina sua: Cavete à scribis, qui volunt in stolis ambulare, & salvari in foro, & in primis cathedris sedere in synagogis, & primos discubitus in caenis: qui devorant domos viduarum sub obtentu prolatae orationis, hi accipiunt prolixius iudicium. Quare non est longè qui venit callidè? Longior namque est ignorantia à regno Dei, quam scientia. Unde supra Sadducæis ait: Erratis, inquit, nescientes scripturas neque virtutem Dei. Et docebat eos Jesus in templo: id est, palam eis de se loquitur, ut inexcusabiles sint: & ut ignis incendat arida Scribarum & Pharisaorum exempla, qui volunt in stolis ambulare.

Et sedens Jesus contra gazophylacium. Id est, divitiarum custodiam.

Aspiciebat quomodo turba jactaret es in gazophylacium: & multi divites jactabant multa. Cum venisset autem una vidua pauper, misit duo minuta, quod est quadrans. Et convocans discipulos suos, ait illis: Amen dico vobis: quoniam vidua haec pauper plus omnibus misit qui miserunt in gazophylacium. Omnes enim ex eo quod abundabat illis, miserunt: haec vero de penuria sua omnia quae habuit, misit totum vitulum suum. Divites qui sunt, nisi qui proferunt de thesauro cordis sui nova & vetera: quae sunt incerta & occulta sapientiae utriusque testamenti. Pauperula verò quae est, nisi & ego & similes mei: qui mitto quod possum: & desidero quod non possum vobis explanare? Non quantum (ut audistis) sed ex quanto, considerat Deus. Unusquisque quadrante potest offerre. Haec est torta panis in Levitico, quae est voluntas prompta. Quae cur quadrans dicitur? Quia ex tribus consistit, cogitatu, verbo, ac facto. Quod dicit totum vitulum suum misit. Tota enim voluptas corporis in vitulo consistit. Unde dicitur: Totus labor hominis in ore suo est.

Caput XIII.

Et cum egredere de templo, ait illi unus ex discipulis suis: Magister, aspice quales lapides, & quales structiones? Et respondens Jesus ait illi: Vides has omnes magnas aedificationes? Non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruat. Et cum sederet in monte olivarum, contra templum,

plum, interrogabant eum separatim Petrus & Jacobus & Joannes & Andreas: Dic nobis quando ista fient: & quando haec omnia incipient consummari? Et respondens Jesus, coepit dicere illis: Videte ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo dicentes, quia ego sum: & multos seducunt. Cum audieritis autem bella & opiniones bellorum, ne timueritis: oportet enim haec fieri, sed nondum finis. Exurget enim gens super gentem, & regnum super regnum, & erunt terra motus per loca, & fames. Initium dolorum haec. Videte autem vosmetipsos. Tradent enim vos in conciliis & synagogis vapulabitis: & ante praesides & reges stabitis propter me in testimonium illis. Et in omnes gentes primum oportet predicari Evangelium. Et cum duxerint vos tradentes, nolite praecogitare quid loquamini: sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquamini. Non enim estis vos loquentes, sed Spiritus sanctus. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & consurgent filii in parentes, & morte afficient eos. Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem sustinuerit in finem, hic salvus erit. Cum autem videritis abominationem desolationis stantem ubi non debet: qui legit, intelligat. Tunc qui in Judaea sunt, fugiant in montes: & qui super tectum, non descendat in domum, nec introeat ut tollat quid de domo sua. Et qui in agro erit, non revertatur retro tollere vestimentum suum. Vae autem praegnantibus & nutribus in illis diebus. Orate vero ut hyeme non fiat. Erunt enim dies tribulationis tales, quales non fuerunt ab initio creaturae quam condidit Deus, usque nunc, neque fient. Et nisi brevifasset Dominus dies, non fuisset salva omnis caro. Sed propter electos quos elegit, brevifavit dies. Et tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, ecce illic, ne credideritis. Exurgent enim pseudochristi & pseudoprophetae, & dabunt signa & portenta, ad seducendos (si fieri potest) etiam electos. Vos ergo videte, ecce praedixi vobis omnia. Sed in illis diebus post tribulationem illam sol contenebrabitur, & luna non dabit splendorem suum: & stella caeli erunt decedentes, & virtutes quae in caelis sunt movebuntur. Et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa & gloria. Et tunc mittet angelos suos, & congregabit electos suos à quatuor ventis, à summo terrae usque ad summum caeli. A sic autem dicit parabola: Cum jam ramus ejus tener fuerit, & nata fuerint folia, cognoscitis quia in proximo sit aestas. Sic & vos cum videritis haec fieri, scitote quod in proximo sit in oestiu. Amen dico vobis, quoniam non transibit generatio haec, donec omnia ista fiant. Numerat discipulis eadem novissimi temporis, id est, destructionem templi cum plebe & litera sua. De qua lapis super lapidem non relinquetur: id est, testimonia Prophetarum super eos, in quos Judaei retorquebant ea: ut est in Apollolium, in Eldram, in Zorobabel, in Machabaeos. Quae enumerat, omnia speranda sunt, potius quam tractanda. Pseudochristi, & pseudoprophetae, gens super gentem, & regnum super regnum: terra motus, vapulatio praedicantium: praedicatio Evangelii usque ad fines terrae, ut ante iudicium clamet Ecclesia: à finibus terrae ad te clamavi Domine. Domestici in domesticis surgentes, abominatio in templo, fuga in montes ut non descendat ad ima, qui ascendit ad alta. Orate ut hyeme non fiat fuga vestra vel sabbato: id est, ne finiantur fructus vestri operis cum fine temporis. Hyeme enim finitur fructus, sabbato verò tempus. Tribulatio ingens, & dies breves propter electos: ne malitia hujus temporis mutet intellectum eorum. Sicut de Noe dicitur. Post haec sol contenebrabitur ad gelida corda ut hyeme: & luna non splendet serena tempestate disensionum: & stellae erunt decedentes lumine, quando penè decerit semen Abraham qui assimilatae sunt stellae: & virtutes quae sunt in caelis movebuntur ad iram vindictae: quando mittentur à filio hominis veniente in nubibus caeli cum virtute: qui prius sicut pluvia in vellus Gedeon descendit cum humilitate. Et congregabit electos à quatuor ventis, ut triticum ventilatum de area totius terrae. Fici parabola haec est prophetia. Folia nata, verba sunt praesentia: aestas verò proxima, dies est iudicii: in quo unaquaque arbor manifestabit quae intus habuit, an aridum ad comburendum, an viride ad plantandum, in Edem cum ligno vitae: cujus folia in salutem gentium: id est, verba quibus dicitur: Venite benedicti patris mei, & reliqua. Sequitur:

Caelum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. De die autem illa vel hora nemo scit, neque angeli in caelo, neque filius, nisi pater. Videte. Quid est quod dicit, neque

Tom. V.

filii: de quo dicitur: Pater major me est: id est, corpus ejus in terra positum, quod est Ecclesia.

Vigilate, & orate: nescitis enim quando tempus sit. Sicut homo qui peregrinatus profectus reliquit domum suam, & dedit servis suis potestatem cuiusque operis: & janitori praecipit ut vigilet. Vigilate ergo, nescitis enim quando Dominus domus veniet: sero, an media nocte, an galli cantu, an mane: ne cum venerit reperit, inveniat vos dormientes. Vigilia opus est mentis, ante mortem corporis. Homo praeperè profectus, corpus est Christi in caelum elevatum: relinquens domum suam, quae est Ecclesia. Dans servis suis potestatem uniuscujusque operis, id est, octo talenta, juxta Matthaeum: vel decem, minas, juxta Lucam. Et janitori praecipit ut vigilet: id est, ei qui praedicat, cui dicitur: Si non annunciaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem suum de manu tua requiram. Vigilate ergo, & reliqua. Sero an media nocte, quando sunt occisa Aegyptiorum primogenita: ne inveniat vos dormientes. Nam qui dormit, non corpora vera, sed phantasmata intendit: & vacuus vigilat de his quae viderat. Sic nimirum sunt quos mundi amor rapit in vita, deserit post vitam quod somniabat pro certo. Sequitur:

Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate. Hoc sive concludit sermonem: ut commune omnium praecceptum novissimi per primos audiant.

Caput XIV.

ERAT autem pascha & azyma post biduum. Nunc aspergamus librum nostrum sanguine, & limina domorum: & funem coccineum circumdemus domui orationis nostrae: & coccum in manu nostra, ut Sara ligemus: ut vacuum rufam in valle occisam enarrare possimus. Pascha, transitus interpretatur. Phasè verò immolatio. In immolatione agni & transitu populi per mare vel per Aegyptum, praefiguratur passio Christi, & redemptio populi de inferno, quando mos post biduum visitat: id est, plenissima luna aetate Christi perfecta: ut nec cum aliqua parte tenebrosa, carnes agni immaculati: qui tollit peccata mundi, in una domo, quae est una electa matris suae Ecclesia Catholica: calcietur charitate, & armati virtute comedamus, dicentes: Etenim pascha nostrum immolatus est Christus.

Et querebant summi sacerdotes & scriba, quomodo eum dolo tenerent, & occiderent: dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. Et cum esset Bethania in domo Simonis leprosi, & recubaret: venit mulier habens alabastrum unguenti nardi spicati preciosi: & fracto alabastrum, effudit super caput ejus. A principibus egressa est iniquitas in Babylone. Occiso etenim capite, totum corpus nerve efficitur. Unde miseri faciunt, quod capita moliantur. Vitae diem festum, quod convenit illis. Non est enim festivitas his qui vitam & misericordiam perdidit. Venit Jesus Bethaniam. Hinnulus cervorum semper ad lectum suum redit, id est filius obediens patri usque ad mortem, obedientiam à nobis petit. Simon leprosus, mundum infidelem primo, & postea fidelem significat. Mulier cum alabastrum, Ecclesiasticam fidem, quae dicit: Nardus mea dedit odorem suum. Pistica nardus dicitur, id est mystica & pretiosa. Domus impleta odore, caelum & terra est. Fractum alabastrum, carnale est desiderium: quod frangitur ad caput, ex quo omne corpus compaginatum est. Recumbente ipso: id est, humiliante, ut cum tangeret fides peccatricis, quae de pedibus ascendit ad caput: & ad pedes à capite descendit per fidem: Id est, ad Christum & ad membra ejus.

Erant autem quidam indignè ferentes intra semetipsos & dicentes: Ut quid perditio ista unguenti facta est? Poterat enim unguentum istud venundari plus quam trecentis denariis, & dari pauperibus. Et fremebant in eam. Jesus autem dixit: Sinite eam: quid illi molesti estis? Per synecdochen dicitur unus pro multis, & multi pro uno: Dicentes intra se: Ut quid perditio haec unguenti? Perditio de salute perditionem invenit, & in sic fructifera mortis laqueum nanciscitur. Trecentis denariis poterat venundari unguentum, & dari pauperibus. Sub praetextu avaritiae, mysterium loquitur fidei. Etenim nostra fides trecentis emittit denariis, id est, decem sensibus per corpus & animam & spiritum triplicatis: ut & nos sicut Gedeon trecentorum virorum numerum affumentes, alio phylorum castra pauperes spiritu fractis lagunculis nostris cum tubis & lucernis destruemus: & ut Abram cum trecentis vi-

M m m

ris, spolia ad vesperum dividamus. Sequitur:

Bonum opus operata est in me, Semper enim pauperes habetis vobiscum, & cum volueritis, potestis illis benefacere: me autem non semper habebitis. Quod habuit, haec fecit: Qui credit in Deum, reputatur ei in opus iustitiae. Aliud est enim credere ei, aliud credere in eum: id est, totum ejicere te in illum. Quod habuit, haec fecit. Non aliunde speremus quod in nobis habemus.

Prævenit ungere corpus meum in sepulcrum. Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit Evangelium istud in universo mundo: & quod fecit haec, narrabitur in memoriam ejus. Et Judas Iscariotis, unus de duodecim, abiit ad summos sacerdotes, ut proderet eum illis. Qui audientes, gavisissimi sunt: & promiserunt ei pecuniam se duros. Et querebat quomodo eum opportune traderet. Et primo die azymorum, quando pascha immolabant, dicunt ei discipuli: Quò vis eamus, & paremus tibi comedere pascha? Et mittit duos ex discipulis suis, & dicit eis: Ite in civitatem, & occurret vobis homo laevam aqua bajulans, sequimini eum: & quocumque introierit, dicitis Domino domus: quia magister dicit: Ubi est refectio mea, ubi pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse vobis demonstrabit conaculum grande stratum, & illic parate nobis. Et abierunt discipuli ejus: & venerunt in civitatem: & invenerunt sicut dixerat illis: & paraverunt pascha. Id est, antequam veniret is qui excluderet, Judas Iscariotis, unus de duodecim. Unus numero, non unus merito: unus nomine, non unus numine: unus corpore, non unus animo. Unde sponsus ad sponsam canit: Vulnerasti cor meum, foror mea sponsa, in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui. Oculus & crinis, sapientiae est virtus: quoniam Judæ cum ceteris dicitur: Vobis datum est nosse mysterium regni: & dedi vobis potestatem: & reliqua. Abiit ad principes. Postquam exiit, fatanas in eum intravit. Hic nox nocti indicat scientiam. Unumquodque animal ad simile sibi jungitur. Maria currit ad Apostolos, ut dies diceret verbum: Et Judas ad Judæos, ut nox nocti indicet scientiam. Promittunt pecuniam, amittunt vitam, quam ipse recepit cum vitam amisit. Querebat opportunitatem. Opportunitas doli nunquam invenitur, ut non vindicetur hic aut illic. Promittit se tradere: ut magister ejus diabolus ante dicebat: Tibi dabo potestatem hanc universam. Et primo die azymorum, quæ cum amaritudine manducantur, azyma nobis est redemptio nostra. Amaritudo verò, passio Domini. Dicunt discipuli: Quò vis eamus? Ut cum voluntate Dei dirigamus gressus nostros. Dominus indicat cum quo manducat pascha: & more suo mittit duos: quod supra exposuimus. Et dicit: Ite in civitatem, & reliqua. Civitas, est Ecclesia, quæ muro fidei cingitur: Homo occurrens, populus primitivus est. Amphora aquæ lex litera est. Sequimini eum, qui ducit in altum, ubi est refectio Christi: Unde Raab exploratoribus mandat, ut non irent per ima, sed per excelsa pergerent. Conaculum grande Ecclesia magna est: in qua narratur nomen Domini, strata varietate virtutum & linguarum, ut est illud: Circumamicta varietate: in qua paratur Domino pascha. Dominus domus, Petrus Apostolus est. Cui Dominus domum suam credidit, ut sit una fides sub uno pastore.

Vespere autem facto, venit cum duodecim, & discumbentibus eis, & manducantibus, ait Jesus: Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me qui manducat mecum. At illi cœperunt contristari, & dicere ei scigillatim: Nunquid ego? Qui ait illis: Unus ex duodecim, qui intingit mecum in cetero. Et filius quidem hominis vadit sicut scriptum est de eo. Væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur. Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille. Et manducantibus illis, accepit Jesus panem: & benedicens, fregit, & dedit eis, & ait: Sumite, haec est corpus meum. Vespere diei, vesperam indicat mundi. Circa undecimam namque horam veniunt novissimi, qui primi denarium vitæ accipiunt aeternæ: quia ante crucem Abraham erat in inferno, & post crucem latro in paradiso. Manducantibus autem eis ait: Unus ex vobis me tradet, qui manducat mecum panem. Quia dum fallitas arguitur, nihilominus veritas comprobatur, ut impletur quod dicitur: Qui edebat panes meos, magnificabat super me supplantationem. Omnes tanguntur: ut fiat harmonia in cithara: omnes nervi bene suspensi, consona voce respondent: Nunquid ego sum Domine? Unus remissus, & pecuniae amore affectus, dixit: Nunquid ego sum Rabbi? Et dicit illis: Unus de duodecim. Separat lupus feor-

sum ovem quam capit. Ovis quæ de ovili egreditur, lupi patet moribus. Filius hominis vadit: sed væ homini per quem tradetur. Multi bonum ut Judas faciunt, sed omnino illis non proficit. Bonum erat ei si non esset natus: intimo latens utero materno, melius est non esse, quam ad tormenta esse. Accepit Jesus panem, & benedicens fregit, transfigurans corpus suum in panem, quod est Ecclesia præfens, quæ accipitur in fide, benedicitur in numero: frangitur in passionibus, datur in exemplis, sumitur in doctrinis, formans sanguinem suum in calicem, vino & aqua mixtum: ut alio purgemur à culpis, alio redimamur à peccatis. Sanguine namque agni servantur domus à percussione angeli: & aqua maris rubri extinguuntur inimici, quæ sunt mysteria Ecclesiae Christi.

Et accepit calicem gratias agens, dedit eis. Gratia, non meritis salvati sumus à Deo.

Et biberunt ex illo omnes. Et ait illis: Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur. Amen dico vobis, quòd jam. Ebrietas felix, satietas salutaris: quæ quanto copiosius sumitur, tanto majorem sobrietatem mentibus donare dignatur. Et Judas bibit, sed non saturatur, nec sitim extinguit ignis æterni: quia indignè sumit mysteria Christi. Hic macula in luna ostenditur: quæ nunquam deletur. Luna Ecclesiae merito comparatur, quæ non habet splendorem: sed à sole certis modis suscipit lumen: id est, à Christo, qui permanet in æternum. Sunt enim in Ecclesia quos sacrificium nullum emundat, sed eos cogitatio insipiens perducit ad culpas: qui se cœnoscæ crudelitatis fœderibus miscuerunt. Sanguis enim novi Testamenti, qui pro multis effundetur, non omnes emendat.

Non bibam de genimine vitis, usque in illum diem cum illud bibam novum in regno Dei. Hic mutat tantum sacrificium, sed non mutat tempus: ut non nunquam cœnam Domini ante quartam decimam lunam faciamus. Qui facit in quarta decima resurrectionem: in undecima luna cœnam Domini facit: quod nunquam inventum est, nec in veteri testamento, nec in novo.

Et hymno dicto. Id est, laude Domini: ut est in psalmo: Et laudabunt Dominum qui requirunt eum: & manducaverunt eum, & adoraverunt omnes pingues terræ.

Exierunt in montem Olivæ. Et ait eis Jesus: Omnes scandalizabimini in me in nocte ista: quia scriptum est: Percutiam pastorem, & dispergentur oves. Sed postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam. In monte Olivæ Jesus tenetur, & inde ad caelos ascendit: ut nos sciamus, quia inde ascendimus ad caelos, unde vigilamus, & oramus, & ligamur, nec repugnamus in terra. Omnes vos scandalum patiemini. Omnes cadunt, sed non omnes jacent. Nunquid qui dormit non adjiciet, ut resurgat? Carnale est cadere, sed diabolicum jacere. Scriptum est: Percute pastorem, propheta Zacharias postulat passionem Domini. Pater respondet: Percutiam pastorem, precibus sanctorum infernalium. Filius à patre mittitur & percutitur, id est, incarnatur & patitur. Dispergentur oves, pastore capto: resurrectio promittitur: ut spes non extinguatur.

Petrus autem ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint, sed non ego. Et ait illi Jesus: Amen dico tibi, quia tu hodie in hac nocte. Et avis sine pennis altum volare nititur: Sed corpus aggravat animam: ut timore humanæ mortis, timor Domini superetur vel vincatur.

Prius quam bis gallus vocem dederit, ter me es negaturus. At ille amplius loquebatur: Et si oportuerit me commori tibi, non te negabo. Similiter autem & omnes dicebant. Et veniunt in prædium cui nomen Gethsemani: Et ait discipulis suis. Gallus cantat, Petrus negat ter. Gallus lucis nunciis quis est, nisi Spiritus sanctus? cujus voce in Prophetis, & Apostolis nos de terna abnegatione qua Deum negavimus nosse, voce ancillarum exterriti, excitamur ad amarissimos post lapsum fletus: qui malè cogitavimus de Deo, & malè locuti sumus ad proximos: & malè fecimus ad nosmetipsos. Et venit in prædium Gethsemani: id est, vallis pinguedinum: ubi tauri pingues oblederunt eum: & vituli multi circumdederunt eum.

Sedete hic, donec orem. Et assumpsit Petrum, & Jacobum, & Joannem secum. Separatur in oratione, qui separatur in passione: quia ille orat, illi dormiunt pinguedine cordis oppressi.

Et cepit pavere & tedere. Et ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem: Sustinete hic & vigilate. Et cum processisset paululum, procidit super terram: & orabat, ut si fieri posset, transfret ab eo hora, & dixit: Abba pater.

patet & tristicari docemur antejudicium mortis: qui non possumus per nos dicere nisi per illum: Venit princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam. Et dixit: Abba pater. Hebraicè & Græcè loquitur, quia non est distinctio Judæi & Græci.

Omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me: sed non quod ego volo, sed quod tu. Et venit, & invenit eos dormientes: & ait Petro: Simon dormis, non potuisti una hora vigilare? Usque in finem non cessat nos docere patribus obedire: & voluntatem eorum voluntati nostræ præponere. Invenit eos dormientes. Sicut dormiunt mente, sic & corpore.

Vigilate & orate, ut non iniretis in tentationem. Spiritus autem promptus est, caro autem infirma. Et iterum abiens, oravit eundem sermonem dicens. Et reversus denno invenit eos dormientes. Erant enim oculi eorum gravati, & ignorabant quid responderent ei. Et venit tertio, & ait illis: Dormite jam, & requiescite. Sufficit. Venit hora, ecce filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite eamus. Ecce qui me tradet prope est. Et adhuc eo loquente, venit Judas Iscariotis, unus de duodecim, & cum eo turba multa, cum gladiis & lignis, à summis sacerdotibus & scribis, & senioribus. Dederat autem traditor ejus signum eis, dicens: Quocumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite caute. Et cum venisset, statim accedens ad eum, ait: Rabbi, & osculatus est eum. At illi manus iniecerunt in Jesum, & reverterunt eum. Unus autem quidam de circumstantibus educens gladium, percussit servum summi sacerdotis, & amputavit illi auriculam. Et respondens Jesus, ait illis: Tanquam ad latronem existis cum gladiis & lignis comprehendere me: quod videlicet eram apud vos in templo docens, & non tenuistis. Sed ut impleantur scripturae. In tentationem intrat, qui orate negligit. Ter discipuli dormiunt, & ter Dominus orans suscitatur. Terna dormitatio, tres mortuos quos Dominus suscitavit significat. Primum, in domo: Secundum, ad sepulchrum: Tertium, de sepulchro. Terna vigilia Domini, tres personas habere nos in orando docet: & de præteritis & futuris, & de præsentibus veniam rogare. Venit Judas cum gladiis & lignis. Incumbit virtuti sæculi qui desperat de adiutorio Dei. Dat signum osculi cum veneno doli: Sicut Cain obtulit sacrificium subdolum & reprobatum, Unde vinum cum aceto in cruce ponunt. Et tenuerunt Jesum. Hic adest Joseph victus, venditus à fratribus: & ferrum pertranxit animam ejus. Unus educens gladium, amputavit auriculam servi. Prædicatio Petri: auditum à Judæis abiecit regni Dei.

Tunc discipuli ejus relinquentes eum, omnes fugerunt. Tunc adimpletum est quod dicitur: Elongasti à me amicum & proximum, & notos meos à miseria.

Adolescens autem quidam sequebatur eum, amictus sindone super nudo: & tenuerunt eum. At ille rejecta sindone, nudus profugit ab eis. Et adduxerunt Jesum ad summum sacerdotem, & convenerunt omnes sacerdotes & scribae, & seniores. Petrus autem à longe secutus est eum usque intro in atrium summi sacerdotis, & sedebat cum ministris ad ignem, & calefaciebat se. Summi vero sacerdotes, & omne concilium querebant adversus Jesum testimonium: ut eum morti traderent, nec inveniebant. Multi autem falsum testimonium dicebant adversus eum: & convenientia testimonia non erant. Hoc propriè Marcus. Sicut Joseph & relicto pallio nudus de manibus impudicæ dominæ effugit. Qui autem vult effugere manus iniquorum, relinquit mente quæ mundi sunt, fugiat post Jesum. Et convenerunt sacerdotes & scribae. Tunc fit congregatio taurorum in vaccis populorum. Petrus à longe sequebatur. Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis. Timor retrahit, charitas trahit. In atrio cum ministris calefacit se ad ignem. Atrium sacerdotis, est sacrularis circuitus: ministri, demonia sunt. Ignis, desiderium carnale, cum quibus qui manet, flere peccata non potest. Summi sacerdotes querebant falsum testimonium adversus Jesum. Mentita est iniquitas sibi: ut regina adversus Joseph: & sacerdotes adversus Sufannam: sed ignis sine materia deficit. Et convenientia testimonia non erant: Quod variatur, incertum habetur.

Et quidam surgentes, falsum testimonium ferebant adversus eum, dicentes: Quoniam nos audivimus eum dicentem: Ego dissolvam templum hoc manus factum, & post triduum aliud non manus factum edificabo. Et non erat conveniens testimonium illorum. Et exurgens summus sacerdos in medium, interroga-

vit Jesum, dicens: Non respondes quicquam ad ea quæ tibi obijciuntur ab his? Ille autem tacebat, & nihil respondit. Rursum summus sacerdos interrogabat eum, & dicit ei: Mortis est hæreticorum, umbram de veritate trahere. Non ille dixit quod illi dicunt: sed simile verbum de templo corporis sui, quod post triduum resuscitavit. Exurgens summus sacerdos interrogat Jesum: Ille autem tacebat. Ipse Deus & Salvator noster, qui mundo salutem contulit, & humano generi sua pietate subvenit: sicut ovis ad occisionem sine voce ducitur: & obmutuit & siluit à bonis. Taciturnitas Christi apologiam Adæ absolvit.

Tu es Christus Filius Dei benedicti? Quem expectabant de longe, in prope non vident. Sicut Isaac caligantibus oculis: Jacob sub manibus non agnoscit, sed longe de eo futura canit.

Jesus autem dixit illi: Ego sum. Ut inexcusabiles sint.

Et videbitis filium hominis. Sacerdos interrogat filium Dei, Jesus autem respondit filium hominis: ut hic intelligamus Dei filium eundem esse & filium hominis: & ne quaternitatem faciamus in Trinitate, sed homo in Deo, & Deus in homine necesse sit.

Sedentem à dextris virtutis. Id est, in vita regnantem sempiterna, & virtute divina.

Et venientem cum nubibus caeli. In nube ascendit, cum nube venit, id est, in corpore suo solo, quod sumpsit à virgine ascendit: & cum multiformi Ecclesia, quæ est corpus ipsius, & plenitudo ejus, ad iudicium venturus est: sicut dicit secundum Matthæum, Cum autem venerit filius hominis, & omnes angeli cum eo, & reliqua.

Summus autem sacerdos scindens vestimenta sua, ait: Quid adhuc desideramus testes? Audistis blasphemiam. Quid vobis videtur? Qui omnes condemnaverunt eum esse reum mortis. Et cœperunt quidam conquire in eum, & velare faciem ejus, & colaphis eum cadere, & dicere ei: Prophetiza. Et ministri alapis eum cadebant. Hoc est ephod: in quo habebant honorem, Judæi amiserunt. Hic adest Samuel scisso pallio de manibus Saul in regno. Milites gentiles non scindunt tunicam Christi: sacerdotes vero scindunt dignitatem sacerdotii sui. Et condemnant eum reum esse mortis. Quo reatu suo, reatum nostrum solveret: & velamine faciei suæ, velamen cordium nostrorum auferret, & sputaminibus susceperis, faciem animæ nostræ lavaret: & colaphis, quibus in caput percussus est, caput humani generis (quod est Adam) sanaret. Et alapis quibus expalmatus est, maxima laus ejus, nostris manibus & labiis plauderet: unde, Omnes gentes plaudite manibus. Et cruce sua, cruciatum nostrum solveret: & morte sua, mortem nostram necaret: cum forma serpentis serpentem necat, quia serpente de virga facto alii absorbentur serpentes. Unde per Prophetam ipse dicit: Ero mors tua ô mors, & morsus tuus ô inferne. Opprobria ejus nostrum abstulere opprobrium. Vincula ejus nos liberos fecerunt. Corona spineæ capitis ejus, diadema regni adepti sumus. Vulneribus ejus sumus sanati. Sepultura ejus resurgimus. Descensione ejus ad inferos, nos ascendimus ad caelos. Hic invenitur mel in ore leonis mortui. Hæc omnia prævidens Propheta ait: Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?

Et cum esset Petrus in atrio deorsum, venit una ex ancillis summi sacerdotis, & cum vidisset Petrum calefacientem se, aspiciens illum, ait: Et tu cum Jesu Nazareno eras? At ille negavit, dicens: Neque scio, neque novi quid dicas. Et exiit foras ante atrium, & gallus cantavit. Rursum autem cum vidisset illum ancilla, cepit dicere circumstantibus: quia hic ex illis est. At ille iterum negavit. Et post pusillum rursum qui astabant, dicebant Petro: Verè, ex illis es: nam & Galileus es. Ille autem cepit anathematizare, & jurare quia nescio hominem istum quem dicitis: & statim gallus iterum cantavit. Et recordatus est Petrus verbi quod dixerat ei Jesus: priusquam gallus cantet bis, ter me negabis: & cepit flere. Petrus sine spiritu, voci ancillæ cessit: cum spiritu, nec principibus, nec regibus cedit. Prima ancilla, titubatio est: secunda, consensio: tertius vir, actus est. Hæc est trina negatio, quam abluat per fletus verbi Christi recordatio. Tunc nobis gallus cantat, quando prædicator quisque per penitentiam corda nostra ad compunctionem excitat. Tunc incipimus flere, quando ignitur intus per scintillam scientiæ: & foras eximus extra quod fuimus.

M m m ij